



Universitätsbibliothek Paderborn

Mater Amoris Et Doloris

Ginther, Anton

Augustæe Vindelicorum, 1711

VD18 15312348

Consideratio III. Dolorosa Virgo, quia Dolorosa, non ab Originali tantum,
sed etiam ab omni actuali labe imunissima. Emblema. Porta signata &
clausa, cui Angelus percutiens non poterat nocerecum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47286](#)

CONSIDERATIO III.

Dolorosa Virgo, quia dolorosa, non ab originali tantum, sed etiam ab omni actuali labo immunissima.



Erit autem sanguis vobis in Signum.

Exod. 12. 13.

I. **B**stupesco, quoties mecum attentiore mentis oculo considero, quod olim summus legislator DEUS Hebræorum domorum postes voluerit sanguine agni immaculi, tempore Paschali immolati, aspergi, ne ab Angelo vastatore eorum primogenita occiderentur : *Erit autem sanguis vobis in signum in adibus, in quibus eritis ; Et videbo sanguinem, et transibo vos : nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Egypti.* Ad quid obsecro, hic sanguis per modum crucis (pro Mater Dolorosa. D ut Exod. 12. 13

ut observant SS. Patres) utriusque posti & superliminari ostij aspersus ? & quomodo crux ille tessera esse poterat salutis ? an Angelus vastator hoc fortasse corporeo indigebat signo ? Minime, quia Angelus erat & quidem bonus, prout recte monet Cornelius, ideo per se satis viderat, quænam ædes Israëlitarum, & quænam Ägyptiorum erant habitacula.

Observa hic, prudens Lector ! peculiare mysterium. Sanguis ille Agni per modum crucis in superliminibus portarum aspersus elegantissimus typus fuit divini illius crucis, quem Divinus ille Agnus in ara Crucis pro salute universorum, & in copiosam animarum redemptionem erat profusurus, per quem sanguinem ab ira ventura & à morte perpetua milericorditer liberati sumus : *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

Apoc. 1. 5. Ex qua pulcherrima figura hoc nunc formo argumentum : Si crux ille agni typici in porta aspersus primogenita quondam Israëlitarum à morte conservavit immunia, quanto magis divinus ille Sanguis immaculatus Agni JESU Christi in cruce & passione sparsus à morte & ab omni peccati labore præservavit immunem Dolorosam Virginem & Sanctissimam Deiparentem MARIAM, quam Spiritus San-

Ecli. 24. 5. Etus nominat Primogenitam omnium creaturarum, & in alio loco :

Prov. 8. 23. aeterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret ; nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram &c.

Ezech. 44. 2. Proinde meritò huic portæ semper clausæ, de qua Ezechiel vaticinatus est : *Porta hæc clausa erit : non aperietur ; quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, rectè problemate inscribere possumus :*

Signatur, ne perdatur.

Hic velim, cogitationem tuam figas, prudens Lector ! Si enim Salomon tam peculiari amoris & honoris significatione exceptit matrem suam Bersabæam : *Et surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedidit super thronum suum ; positusque est thronus matri Regis, quæ sedidit ad dexteram ejus.* Quo honore existimas, quod ipse DEI Filius, qui plus

est quam Salomon, SS. Matrem suam in mundum ingredientem excepterit ? an non pari ratione ipsi dixit : *Pete Mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam &c.* Sed longè ab electissima sua Matre faciem suam avertiſſet, si eam permifisset aliquando diabolo per peccatum fulſe subditam, DEO summè odibilem, & aeternæ damnationi vel ad tempus subjectam ; quid enim apud cælestes illos Spiritus magis infame esse potest, quam peccatum, ac præsertim mortale, quale & originale est ? audi S. Vincentium Ferrerium ex Sacra D. Dominicæ familia nobile

ac

ac fulgentissimum fidus, qui illa verba : *Fiat lux ex Genesis primo mu-* S. Vinc. Petri.
tuata, eleganter ad immaculatam B.V. MARIE conceptionem accomo- in Serm. 2.
dat : Non credatis, inquit, quia (lux) fuerit sicut in nobis, qui in peccatis de Nat. Virg.
concipimur : sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim An-
geli in celo celebrarunt festum conceptionis &c.

2. De Jeremia Propheta referunt Sacrae Paginæ, quod aliquando à DEO iussus fuerit, ut ad domum figuli se conferret, ejusque opera ac figura oculo attentiore consideraret : *Descende in domum figuli.* Ferem. 18. 2. Contigit, ut figulus opus suum super rotam & stellam faceret, illud in vas debitum formando ac complanando ; & ecce dum sedulò operi incumbitur, subito inter manus artificis vas illud luteum confringitur, & in partes dissolvitur, quod lutum nihilo secus figulus de terra colligens in novam formam redegit, & inde vas in honorem, & priore longè excellentius confecit : *Conversusque fecit illud vas alterum, sicut placnerat in oculis ejus.*

Adverte anime mihi ! per vas primum illius figuli tam citò conformatum rectè Eva omnium mortalium parens prima intelligitur ex luto terræ & costa Adami à DEO summo artifice formata, quod tamen vas mox in ortu suo ex insidijs diaboli & infernalis serpentis lugendum in modum per peccatum contritum, atque dissipatum est : *Facta est tan-* Psal. 30. 23. *quam vas perditum* ; per secundum autem vas à DEO fabricatore longè excellentiore modo formatum subaudiri debet SS. Deipara, & incontaminata semper Virgo MARIA, ab omni peccato originali & actuali per merita Sanguinis Christi antecedenter illi applicata semper immunis, quæ licet secundum carnem, teste B. Petro Damiano, ex eadem lutea B. Dam. Ser. Adami massa sit formata, maculas tamen Adæ non admisit ; ea propterea Assumpt. à Spiritu S. hoc insigni elogio exornata fuit : *Vas admirabile, opus Ex-* B. V. *celsi* ; & à S. Andrea Apostolo Terra nunquam maledicta, de qua secundus & melior Adam à Spiritu S. formatus est : *Sicut primus Adam, in-* Eccli. 43. 2. *quit, formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta : ita secundus for-* Salazar c. *matus est ex terra virginea nunquam maledicta* ; unde non incongrue 42. fol. 357. Poëta :

Femina vas luteum est, ex omnibus una MARIA

Eruta Virgo luto est, sed tamen absque luto.

3. Progrediamur ulterius. Inter alia divinæ potentiae admirabilia non postremum sibi locum vendicat columna illa, quæ populum Iraeliticum per desertum ac mare Rubrum modo procul stupendo

in Palestinam traduxit. Erat autem hæc columnæ interdu ad instar nubis, Hebræorum castra inumbrans, & cum incederent, à gravi æstu defendens; de noctu verò tantum luminis subministravit, ut universum exercitum undequaque illuminarer, & omnibus in tentorijs existentibus in medijs tenebris pro luce inserviret: *Nequaquam defuit columnæ nubis per diem, nec columnæ ignis per noctem.*

Quod olim Hebræis hæc columnæ nubis & ignis, hoc nobis Christianis est Dolorosa & immaculata Virgo M A R I A; columnæ ignis fuit, in medijs tenebris mirè refulgens, quando sine ulla peccati originalis labe (quæ tamen tenebræ omne genus humanum comprehendebunt) sola per divinam gratiam, mirabiliter eam præservantem, concepta, & in lucem nata est, cui mysticæ & igneæ columnæ rectè pro epigrapha inscribes: *In tenebris lucet;* vel illud S. Joannis: *Et tenebre eam non comprehenderunt;* columnæ verò nubis tunc potissimum extitit, quando à moriente in cruce Filio in Matrem nobis commendata est: *Ecce Mater tua,* ex quo tempore hæc mystica nubes devotos sibi clientes mirè inumbrare, protegere, atque ab æstu iræ divinæ defendere cœpit, proinde rectè S. Epiphanius hanc Dolorosam Virginem appellat *Nubem cœlestem imbre demittens, quō terra irrigatur.*

Joan. 1. 5.

*S. Epiph. orat. de la-
de B. V.*

3. Reg. 6. 7.

*S. Ildeph. de
B. V. c. 10.*

4. O pientissima Virgo! quid ulterius dicam de te? In magnificientissimo illo sapientissimi Regis Solimæi templo, dum ædificaretur, nullus malleorum ictus, securis & omne ferramentum non sunt audita. Per hoc templum, subintrat hic S. Ildephonsus, unicum Factoris sui templum M A R I A præsignata est, quod nullis peccati originalis, aut actualis, vel venialis ictibus fuit subjectum.

Levit. 1. 3.

In levitico quandam DEUS sanxit, ut victria prorsus immaculata sibi offerretur: *Masculum immaculatum offeret &c.* Quomodo ergo poterat Beatissima Virgo, quæ se ipsam in Filio suo in monte Calvario D E O T. O. M. in vivam præsentavit victimam, aliquâ peccati lue esse commaculata?

Dan. 1. 4.

Nabuchodonosor Rex selectissimos sibi elegit pueros, in quibus nulla esset macula, decoros formâ, & eruditos in omni sapientia, ut quotidie coram se adstantem, & Majestati regiae inservirent. Et DEUS sibi elegisset Matrem aliquâ peccati sorde fædatam? absit, absit; hæc enim ignominia redundasset in Filium.

Affuero potentissimo Persarum Regi ex universis amplissimi regni sui provincijs fuerunt quælitæ speciosissimæ puellæ ac virgines, inter quas

quas sola placuit Hebræa Esther, quia erat pulchra nimis & decora facta. *Esther. 2. 7.*
Et DEUS Rex regum & Dominus Dominantium sibi talem selegis. *Apoc. 19. 16.*
set Matrem peccati aliquando cœno conspurcatam? quæ conventio lumen & umbræ?

Ros cœlestis in solum vellus Gedeonis descendit: *Ros in solo vel.* *Judic. 6. 37.*
lere, dum interim universa terra secca permanxit. Supra quod perele-
ganter S. Doctor Mellifluus: *Beatam Virginem,* inquit, *Gedeonis vel.* *S. Bernh.*
Ius, dum in medio secca area maduit, præsignavit, dum mortales omnes *Serm. in c.*
hoc singulari gratiæ rore erant privati, ita quidem, ut prius peccati hæ-*12. Apoc.*
reditarij lue inficerentur, antequam naucerentur in lucem, hæc sola rore
gratiæ à Spiritu S. præventa est: *Ros in solo vellere.*

Cum Sennacherib Rex Assyriorum, vastatâ Ægypto & Agâ uni-
versâ depopulatâ, urbem Solymæam formidabili oblideret exercitu,
Dominus per Isaiam Regi Ezechiæ respondit: *Civitatem hanc non in-* *4. Reg. 19.*
gredietur: protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me. Et nun-*34.*
quid B. Virgo civitas DEI est, de qua gloriola dicta sunt? ita Docta-*S. Aug. 1. 7.*
rum Phœnix S. Augustinus, & à B. Petro Damiano appellatur *Civitas de Civit. c. 6.*
vivens Regis exercitum, & civitas refugij; non ergo decuit, ut hostis *B. Pet. Dam.*
infernal is hanc Civitatem DEI ingrederetur, & per aliquid peccatum *de dormit.*
in suam redigeret portatem: *Salvabo eam propter me.* *B. V.*

Michaël & Angeliboni draconem illum magnum vicerunt propter *Apoc. 12. 21.*
sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui. Quid ergo dicemus
de Matre DEI & Regina Angelorum? an non idem sanguis Agni, ac
dilectissimi Filij sui ab ea omnem in Adamo lapsum longissime avertit:
Attende Seraphim, ait B. Petrus Damianus, *& videbis, quidquid majus est,* *B. Pet. Dam.*
minus esse Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi? *Ser. de an-*
nunt.

5. Ad stabiliendam istam verissimam (ut ita dicam) veritatem
revocate in memoriam admirandum illum salutationis modum, quo
Gabriel Archangelus hanc Sacratissimam Virginem mox DEI Genitri-
cem futuram salutârit: *Ave,* inquietabat, gratiâ plena, *Dominus te-* *Luc. 1. 28.*
cum &c. Cur dixit AVE & non SALVE? nunquid prorsus idem
videntur significare *Salve* & *Ave?* an non universa Ecclesia Sanctissimam
hanc cœli, terræque Reginam per ly *Salve* salutat: *Salve Regina?*

Adverte Lector Mariâne! hic singulare mysterium. AVE, *Hugo Card.*
subintrat hic Eminentissimus Hugo Cardinalis, idem sibi vult, quam *tit. à Fineti*
A-VE, id est sine vœ; ubi totum humanum genus huic communi vœ *in reflex.*
in contrahendo peccato originali erat obnoxium, hæc Sola pretiosissi-

fima Virgo non per naturam sed per gratiam, non de condigno sed de congruo sine ullo vae, ac sine ullius noxae originalis aut actualis labore permanxit: *Cunctis, ait praedictus Cardinalis, qui foris sunt, dicitur uerba, ut sed MARIAE dicitur in conclavi AVE;* & sicut AVE, si litteras retro legas, nomen EVA monstrat, sic quod Eva destruxit, hoc Ave reparavit, qua propter non inconcinnę Poëta:

*Pandit AVE angelicum, quod quondam clauserat EVA,
Facta etenim porta est Virgo MARIA poli.*

6. Plura si desideras hujus immunitatis testimonia, accipe.

Cum tributum à telonarijs Cæsaris Tibetij in civitate Capharnaum à Christo Domino exigeretur, mitissimus Servator ad Petrum se convertit, ei que insinuavit, tributum non à filijs, sed ab alienis exigendum; & subjunxit: *Ergo liberi sunt filii?* Peccatum originale tributum est, cui subjacent mortales universi: *Eramus naturā filii ira;* sed MA-

*Mattb. 17.
25.*

Ephes 2. 3.

Cant. 7. 1.

Jo. Carth. b. 1.

Hom. 9.

RIA est *Filia principis*, adeoque libera ab ulla pensione aut onere, quia *filia Principis erat*, ait Carthagena; Imperator enim eadem privilegia tribuit Augustae, quae & ipse habet; quanto ergo magis DEUS & Homo Christus SS. Matri suae, quam per sacratissimam passionem suam ab omni peccati tributo præservavit?

Exod. 3. 3.

Moysi oves Jethro pastori apparuit DEUS in flamma ignis in medio rubi, ardenter quidem, sed incombusti: *Per rubum incombustum*, ait Ecclesia, *conservatam agnoscimus tuam laudabilem virginitatem DEI Genitrix*; ubi omnes homines inlustre stigma ab igne originalis noxae sentiebant, solùm beatissima anima Dolorosæ Virginis ad instar rubi illæsa servata est, cur? quia Dominus erat in rubo; *Dominus aget in rubo*, subintrat hic Cornelius, *est Christus in cruce*.

Mattb. 7. 16.

Subiungamus plura argumenta. Et quis ignorat, quod Veritas afferit: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Nunguid colligunt de spinis unvas, aut de tribulis ficas? sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit: non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Si ergo Christus Dominus benedictus fructus MARIAE est, quomodo arbor illa aliquando maledicta esse poterat? si Angelos & protoparentes nostros creavir in gratia, quanto magis decebar, ut Regina Angelorum & Domina totius universi à primo animationis instanti sine ulla labe crearetur? Juvar hic audire Hugonem de S. Victore: *In cœlo, inquit, qualis Pater, talis Filius.* *In cœlo imago Patris, in terra imitator Matris.* Talis ergo Agnus, qualis

Hugo de S.

Vict. Apoc.

de Verb. in.

Actin. c. 2.

qualis Mater Agni; ex mundis mundus: Non enim potuit arbor bona malum fructum facere, quoniam omnis arbor ex fructu suo cognoscitur. Et tandem concludit Hugo: Radix integra, ramus incorruptus.

7. Ex quibus hactenus in medium productis argumentis prudens Lector colliges, quod quidem venator ille tartareus rete inevitabile omnibus Adami filijs retenderit, ut & SS. Deiparam viam naturae concepti comprehendenteret, sed hic verificatum fuit illud Regij Vatis: *Cadent in reti aculo ejus peccatores: singulariter sum ego, donec transeam, Psal. 40, 10.* Ita ô Dolorosa Virgo! ô benedicta inventrix gratiae! inter mortales omnes tu sola transiisti hoc rete, sola, inquam, quia Mater Dolorosa eras designata talis ac tanti Filii, olim pro salute universorum crucifigendi, qui te per merita suae passionis preservavit immunem.

Et quid dubitas adhuc? ille, qui liberavit Jonam à cete & de profundis maris; ille, qui Tres Pueros in camino ignis ardoris servavit illatos; ille, qui Danielem de lacu rugientium, Davidem de laqueo venantium, Susannam de morte, Israëlitas à jugo Pharaonis, Ezechiam de gladio, Sennacherib, Jobum à flagellis diaboli eripuit; ille, inquam, talis ac tantus, tam immensus, tam potens non liberaasset à dæmonis captivitate & peccati hereditarij servitute ipsam suam SS. Matrem? aut potuit, aut noluit, quid dicas?

8. Vis aliqua Symbola & Emblemata de hac immunitate Dolorosae Matris? Cupressum pingue cum inscripto: *Incorrupta viret;* Speculum, ante cuius conspectum basiliscus occisus jacet cum lemma: *Candore peremptus;* Stellam Polarem: *Non occidit una;* Laurum à fulminis iusto immunem: *Non luditur una;* Cygnum in medio aquarum non tintum aut madefactum: *Non tingor ab unda;* Avem paradisiacam rectâ ad cœlum volantem: *Nihil coquinarum;* Pyramidem perpendiculariter à sole percussam: *Umbra nescia;* Aurum: Rubiginis expers; Cristallum: *Candor illatis;* Adamantem: *Sine umbra;* Carbunculum: *Emicat unus;* Lilium seu rosam inter spinas: *Innoxia floret;* Margaritam in concha: *Cœlestis origo;* Nivem recens cadentem: *Mens est ab origine candor;* Triticum in agro seminatum: *Pura genesis;* Olympum inter nubes caput condentem: *Supereminet omnes &c.* Ita est, ô Beatissima, sed & Dolorosissima Virgo! Superemines omnes, quotquot fuerunt, quotquot sunt, quotquot erunt mortales: *Beata Virgo,* inquit Angelicus, ex hoc, quod s. Thom. Aqu. est Mater DEI, babet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod i. p. q. 25.

est n. c.

est DEUS: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius, sicut non potest esse aliquid melius DEO.

Hic stans delibera, quisquis es, Candide Lector! quo amore & honore, quo cultu ac reverentiâ imposterum tantam DEI omnipotentis Matrem ac Dominam tuam prosequaris, de qua recenset S. Vincen-

*& Vinc. Ferr.
eit. à P. Bar-
ry s. De-
cemb.*

tius Ferrerius, quod eam primo conceptionis momento omnes Angeli summâ veneratione coluerint, atque ei faustissimum in mundum adventum gratulati sint. Fac tu similiter, & horum exemplo excitatus paria ei defer obsequia. Amat autem hæc pientissima Virgo magis

*S. Bernb. in
Serm. super
Salv. Reg.*

virtutum suarum strenuos imitatores, quam vanos laudatores: *Agno-
scit Virgo, ait Mellifluus, & diligit diligentes se, & prope est in veritate
invocantibus se, præsertim ijs, quos videt conformes sibi factos in castitate
& humilitate.*

Je. s. 39.

Ille hanc SS. Virginem Matrem compellare non mereatur, qui est degener filius, neque virtutum ejus æmulator: *Si filij Abra-
hae estis, opera Abrhae facite;* ita quondam perstringebat Christus di-
scobolos Judeos, qui se Abrahæ filios plenis buccis & buccinis gloria-
bantur, & tamen opera Abrahæ minimè faciebant, neque virtutes ejus,

Exod. 25. 40

ut genuini filij sectabantur. Ita Sodalis ille, ac Cliens Marianus fru-
stra sibi de purissimæ hujus Matris patrocinio blanditur, qui licet Of-
ficium de Immaculata ejus Conceptione recitet, MARIAM nomineret,
prædicaret, festa ejus colat, in profesto jejunet &c., si hujus Dolorosæ

Matri virtutes non satagit saltem pro possibili imitari: *Inspice, & fac
secundum exemplar,* quod tibi à B.V. & Matre Dolorosa à primo ani-

mationis instanti usque ad vitæ terminum mon-



CON-